

# Die Urkunden Ludwigs des Jüngeren, 16

(C.) In nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludouuicus divina favente gratia rex.  
Notum sit omnibus sanctae dei aecclesiae fidelibus nostrisque praesentibus scilicet et  
futuris, qualiter Sigahardus venerabilis abba optulit optutibus nostris quoddam praeceptum,  
quod dominus proavus noster Karolus imperator fieri iussit Ratgario venerabili abbatи de  
monasterio Uulda, ubi sanctus Bonifacius requiescat, quod est constructum infra vasta  
Bochonia, in quo continebatur, ut de villis aecclesiae sancti Bonifacii, servis etiam et  
colonis in ipsis manentibus, quas moderno tempore habere videtur vel quae deinceps in us  
ipsius loci divina pietas voluerit amplificare, habeat praedictus abbas successoresque eius  
potestatem decimas accipiendas propter aedificia perficienda vel restauranda luminariaque  
aeccliarum renovanda, et ut sibi fidelibusque suis, pauperibus quoque et peregrinis  
tempore susceptionis usus necessaries possint praebere, secundum id quod sanctae regulae  
propositum atque mandatum iubet monachos in susceptione hospitum pauperumque  
semper esse paratos. Et illud praeceptum dominus proavus noster confirmavit, quod etiam  
pius genitor noster secundum iam dicti avi illius confirmationem per praecepti sui  
conscriptionem esse voluit atque consensit. Iccirco praenominatus abbas Sigahardus  
deprecates est clamentiam nostram, ut et nos antecessorum nostrorum piam erga sancta  
dei loca devotionem imitantes hoc nostrae auctoritatis praeceptum ei fieri iuberemus, per  
quod decernimus atque iubemus, ut, sicut dominus proavus noster et pius genitor noster eis  
concessit, ita et per hoc nostrae auctoritatis praeceptum in dei nomine confirmatum nullo  
inquietante sed deo auxiliante firmum et stabile permaneat absque ullius contradictentis  
obstaculo. Et ut haec nostrae consensionis auctoritas firmior habeatur et per futura tempora  
a fidelibus nostris melius credatur et diligentius observetur, manu propria nostra subter eam  
firmavimus et anuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum Hludouici (MF.) serenissimi regis.

Arnulfus cancellarius advicem Liutberti archicappellani recognovi et (SR. NN.) (SI. D.)

Data X kal. aug. anno dominicae incarnationis DCCCLXXX, indictione XII, anno IIII  
regni Hludouici serenissimi regis; actum Uulda monasterio; in dei nomine feliciter amen.